

obierant, unum de causa, quae super eum contigit, notum faciens, alterum vero per nomen exprimens, quod pro certo in angustiis et tribulationibus essent. Cumque interrogaretur, quid pro his etiam, ut liberarentur, fieri posset? ad hoc nihil respondit. Indicavit etiam de quodam seniore, qui in eodem anno hic in monasterio iam obierat, per nomen etiam illum exprimens, quod in magna gloria esset, et eius causa valde bene staret. Interrogatus igitur a quodam seniore, quando se putaret de hoc saeculo migraturum? respondit dicens: „spero quod hodie in sexta hora diei dominus misericordiam suam mihi faciat.“ Iterum interrogatus, quis post eum hic proxime esset moriturus? respondit dicens: „tantae sunt promissiones vitae aeternae, quod hoc nemo scire potest, nisi sicut in dei ordinatione est, ita fieri debet.“ Interim dum haec verba protulit, quasi daemones se cernere dixit, et conversus ad priorem monasterii, qui tunc prope eum fuit, sic leniter dixit: „omnia quaecumque in hac vita deliqui, valde me poenitent,“ et rogavit eum, ut in loco poenitentiae sibi disciplinam faceret. Ad haec prior respondit dicens: „in tali infirmitate, quâ modo intentus es<sup>1</sup>, disciplinam facere non potes<sup>2</sup>.“ Tunc ad haec nihil dixit; et [fol. 12<sup>b</sup>] conversus ad camerarium et aliquid negligentiae in eo reprehendens, et tamen hoc leniter et charitative haec verba dixit ad eum: „Quod ego tam regularia vestimenta non habeo.“ Et ad hanc sententiam nihil amplius dixit. Deinde iterum rogavit, ut si quid haberet, quod ei ex consuetudine habere non liceret, hoc sibi auferretur, et quod habere deberet, hoc sibi daretur. Interrogatus vero, quae sibi tunc danda essent? respondit et nominavit quaedam vestimenta, quibus noster ordo hos indui praecipit, qui ex hoc saeculo transierunt. Post haec vero illi, qui eum custodiebant, facientes ei silentium, quiescere permiserunt.

25. Deinde prior post aliquod horae spatium iterum ad eum veniens, allocutus est eum, dicens: „quomodo est tunc, quando nemo vobiscum loquitur?“ Ad hanc interrogationem ipse respondit: „valde bene, domine, mihi est tunc, quia psalmum illum, quem ordo pro obtentu boni finis iubet recitari, hunc ego nimis dulciter audio cantari.“ Interrogatus etiam, si de perturbatione illa, quae tunc\* in ecclesia fuit, ullam revelationem perciperet? Respondit dicens: „de hoc nullam aliam revelationem percepi, nisi quod apostolicae potestati debet

<sup>1</sup> estis, Cf. <sup>2</sup> potestis, Cf.

\* Dieß kann sich nur auf die Zeit vor 1079–85, als es zwei Päpste gab, beziehen. Wahrscheinlich starb er 1084 noch bei Lebzeiten Gregors VII.

obediri.“ Inter haec igitur cantata prima conventus ad capitulum venit. Prius autem, quam idem capitulum finiretur, unus de custodientibus eum veniebat, et illum quasi mortuum nunciabat. Quod conventus audiens, statim dimisso capitulo ad eum perrexit.

26. Et priusquam illuc pervenerunt, seniores, sicut consuetudo est, circa eum steterunt. quidam vero diligentius eum inspicientes hoc omnino illis visum est, quod anima in corpore non esset. Deinde vero non post longum horae spatium recepto spiritu et apertis oculis respiciens ad conventum dixit: „crede mihi, ego in coeleste gremium perductus fui, et hoc tam verum est, quod dominus vivit, et ita, inquit, in illud coeleste gremium perductus eram, quod sperabam, me illic persistere debere.“ Tunc interrogatus a quodam seniore, quid ibi viderit? respondit dicens: „ego vidi ibi aeternum gaudium; [fol. 13<sup>a</sup>] quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit deus diligentibus se“\*. Interrogatus etiam, quo modo inde rediret? respondit dicens: „hoc feci ex ordinatione dei.“ Et cum iterum interrogaretur, utrum illuc aliquando reversurus esset? Respondit dicens: „si hoc voluntas dei esset, jam cito dicerem vobis.“ Et post paululum de eadem re iterum interrogatus, respondens dixit: „vere iterum illuc reversurus sum. O! si unquam fieret finis.“ Et cum haec dixisset, elevatis manibus et sursum respiciens, vidit Jesum ad se venientem, et ait: „hic venit Jesus Christus, filius dei vivi.“ Et circumstantibus dixit: „state superius, et sinite seniores illos huc accedere, qui cum eo veniunt.“ Et cum haec dixisset elevatis adhuc manibus et oculis reverenter conclusis, coepit aperta voce psallere, nescio quid, et hoc tanto horae spatio, quod dominica oratio posset cantari. Qui autem circumstabant vocem quidem audierunt, sed verba intelligere non potuerunt. Hoc facto rursus apertis oculis dominum abbatem, qui tunc prope eum sedebat, aspexit et ammonerat eum, ut fratres extra claustrum\*\* commemorantes sibi charos esse permetteret, protestatus eos, si in sua religione usque in finem persistenter, quod monachilem mercedem a domino recepturi essent.

27. Interim videns quosdam seniores domino abbati propius, quam deceret, adstantes, aliquid firmiter affatus est eos, dicens: „state superius, et praebete hono-

\* 1. Cor. 2, 9.

\*\* Die fratres extra claustrum kommt im lib. construct. mehrmals vor. In das Necrolog hat man sie nur selten eingetragen. Es gab auch sorores exteriores, wovon zwei im alten Necrolog standen. S. Band 3, S. 618 Anmerk. \*\*.